5 v

In precedenti capitulo audivimus qualiter deus hominem honoravit
consequenter audiamus quomodo homo se ipsum vilificavit
Homo cum in honore esset non intellexit
eiectus est quia contra deum creatorem suum se erexit
Eiectus est de paradyso voluptatis
in hanc vallem miserie et paupertatis
Parvipendit impensum sibi honorem
et invenit tribulacionem et dolorem
Exivit paradysum locum gaudiosum et amenum
et intravit locum doloribus et adversitatibus plenum
Intravit mundum fraudulosum et fallacem
multa promittentem et in omnibus mendacem
Promittit enim mundus homini longam vitam dare
sed veniente morte non valet ad punctum prorogare
Promittit corpori diuturnam sanitatem
et induit anime et corporis perpetuam infirmitatem
Promittit multas divitias et magnum honorem
sed in fine dat homini putredinem et fetorem.
Et licet aliquando tribuat homini bona mundana
tamen omnia indurabilia sunt et vana.
Nam hominis vitam non possunt prolongare.
nec a mortis potestate sufficiunt defensare
In extrema necessitate nullum prestant homini iuvamen
sed vix tribuunt corpori vilissimum lintheamen.
Mundus ergo iste recte videtur esse tamquam sambucus
cuius flos est pulcher sed amarus fructus
Sic pulchra videtur mundi delectacio
sed fructus eius est eterna dampnacio
Mundus eciam vide tradditori convenienter comparatur.
per quem xpc osculo doloso tradebatur
Tale signum mundus dat demonibus
quale iudas dedit ihū cristi hostibus
Quem osculatus fuero divitias et honores dando.
ipse est tenete eum eternaliter cruciando
Veruntamen divicie non semper sunt ad dampnacionem
sed multis proficiunt ad eternam salvacionem
Dixit enim daniel nabuchodonosor regi
peccata tua elemosinis redime vitam salutis das ei
Deus enim potentes non abiciat cum sit ipse potens
si utuntur temporalibus sicut dixit thobias filium suum docens
Si multum tibi fuerit habundanter tribue.
si modicum fuerit idipsum libenter impertiri stude
Divicie non dampnant hominem sed amor earum
nec eciam coinquinant hominem sed indiscretus usus ipsarum
Nec eciam pulchra vestis peccat si cor est deo datum.
quia quilibet vestiri poterit sine peccato secundum suum statum
Quem deus vult esse regem non decet indui sacco.
et quem ordinavit esse rusticum non convenit uti serico
Quilibet ergo utatur rebus iuxta statum sibi concessum
caveat tamen diligentissime ne faciat excessum

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/Hs-2505/0010
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt